

RECENS HABITÆ.

25

tior est miliarib. Italicis 4. verū in Tellure nulli exstāt montes, qui vix ad vnus miliarii altitudinem perpendicularem accedant, manifestum igitur relinquitur, *Lunares eminentias terrestribus esse sublimiores.*

Lubet hoc loco alterius cuiusdā Lunaris apparitionis admiratione dignæ causam assignare, q̄ licet a nobis non recens, sed multis abhinc annis obseruata sit, nonnullisq; familiaribus amicis, & discipulis ostensa, explicata, atq; per causam declarata; q̄ tñ eius obseruatio Perispicilli ope facilius redditur, atq; euidentior, non incongrue hoc in loco reponendā esse duxi; idq; etiam tum maxime, vt cognatio, atq; similitudo inter Lunam atq; Tellurem clarius appareat.

Dū Luna tū ante, tum etiam post coniūctionē non procul a Sole reperitur, nō modo ipsius globus ex parte, qua lucentibus cornibus exornatur, visui nostro spectandum sese offert, verum etiam tenuis quædam sublucens peripheria, tenebrose partis, Soli nempe auersæ, orbitā delineare, atq; ab ipsius ætheris obscuriori campo seiungere videtur. Verum si exactiori inspectione rem consideremus, videbimus non tantum extremum tenebrose partis limbum incerta quadam claritate lucentem, sed integram Lunæ faciem, illam nempe, quæ Solis fulgorē nondū sentit, lumine quodam, nec exiguo, albicare, apparet tamen primo intuitu subtilis tātummodo circumferentia lucens, propter obscuriores cœli partes sibi conterminas, reliqua vero superficies obscurior e contra videtur, ob fulgētium cornuum aciem nostrā obtenebrantium contactum. Verū, si quis talē sibi eligit situm, vt a tecto, vel camino, aut aliquo alio obice inter visum, & Lunam (*sed procul ab oculo posito*) cornua ipsa lucentia occultē-